

Super Art.
~~Cxxxi~~ C. CC.

1779.



59 S V P E R
A R T. CXXXIII.
C. C. C.

203



Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus: et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

HORAT. *de A. P. v. 38 seqq.*

LIPSIAE. CICICCLXXIX.

EX OFFICINA LANGENHEMIORVM HAERED. ET
KLAVBERTHIA.

Scriptum nobis est glomer, cuius filum
agglomerando intemeratum ac vnicum usque
ad finem raro manet.



VIRO. DOCTISSIMO.

AMICO. SVO. SVAVISSIMO.

IOHANNI. GOTTLIEB.

MVELLERO.

QVIDQVID. SVAE. EST. SCHEDVLAE.

SOLEMNI. FORMVLA.

D. D. D.

IOH. CHRISTIAN. HELLBACH

I. VTR. ST.

ALIO. DOCTRINA
ALIO. SAVIAZIMO.
JOHANNI. GOTTHEIS
MATHIEU.
CATHAR. SAVI. ET. SOFIA. ET.
SOPHIA. LOEWYAN
H. C. H. M. A. T. P. H. N. O. H.

*ari uilla tunc , unde illi uenient
ET nup de amicis huius de cito
volentemque uisum est aperte o
-ci ad eum utrumque sibi
producatur et cetera .*

*In TVVM exactissimum iudicium
publicum erga TE voluntatis meae
testem produci iubeo . Respondebit TI
BI interroganti , num producens lar
vam reprehendantis , qua hora ante
meridiana indutus fuit , deposuerit ?
Non negabit . Imo vero testabitur , si
ad hunc articulum venies , me TIBI
ex animi sententia gratulari posse de
novo specimine diligentiae ac doctrinae,
et videre TE nouis iam honoribus frui
turum . Praeterea edet ille documen
tum , testimonium verae amicitiae , hunc
tenuem*

*tenuem ipsum libellum, quem aliis iudicio ob ipsam amicitiam, et quia TE
scio imprimis aequum scriptiunculae
censorem esse futurum, dare nolui. Destina isti sortem, siue obliuionis noctem,
siue iudicij TVI quasi lumen. Si hoc,
patieris, ut monumentum sit confirmان
dae amicitiae, quae mihi tam est cara
atque gloria, quam quod opto, ut non
TV solum, sed et quilibet sciat, me
esse istius officiis atque omni obseruantia
nemini secundum. Lipsiae d. XII. ante
Calend. Ianuarii.*

CICIOCCCLXXIX.

DISQVI-

iu-
TE
lalae
De-
m,
oc,
an-
ra
on
me
tia
nte

DISQVISITIO IVRIS CRIMINALIS
SVPER ART. CXXXIII.
CONSTITVT. CRIM. CAROL.
DE POENA
ABORTVS ET STERILITATIS PROCVRATAE
EX MENTE CAROLI V. IMP.

Scripsi amici amicitia, et lectorum, si qui essent, venia ac humanitate confessus, quos, ne ob pruritum res Illustrium Virorum ICtorum turbandi me scripsisse existiment, enixe rogatos cupio. Nonne mihi conscientius sim, me nec diffusa in auctoribus iuris nostri lectione, neque ingenio cum iis esse comparandum? Quid enim est minus, non dico dupondii, sed prolytae, quam id in eruditissimis taxare, quod illi si contemserint nugas, progredi amplius non possit, qui taxarit? Tantum valent apud nos illustres ac consultissimi iurium, quantum si aequitatis ab illis expectare possemus, iam salui esse-mus. Sed confidimus coniecturam no-



stram illorum neminem nec laedere posse, nec esse laesuram.

Omnis autem de articulo centesimo tertio trigesimo constitutionis carolinae quaestio est duplex. Vna, quae posita est in abortu; altera, quae pertinet ad sterilitatem procuratam. Nos quidem, quae poena fuerit apud Romanos, vel quallem praxis communis hodierna electoralis constituerit, ex systematibus et compendiis exscribere nolumus; neque hic, num aliqua, et qualis ex Iure Feodali Langobardico — statui possit, perseguemur; sed vnice mentem Carolingicam alio modo, quam quo vulgo solent, interpretari animus est.

Articuli autem nostri interpretum cohors est omnis diuisa in partes tres, quarum prima vi autoritatis Carpzouianae gladii poenam statuit, si partus animatus aut ab ipsa foemina propriis visceribus vim inferente, aut ab alio quocunque dolo malo abactus est. Ex alterius partis sententia, eaque frequentissima, foemina in se ipsa saeuens in aqua suffocanda, caeteri omnes, sive masculi sint, sive foeminae, gladio sunt plectendi. Tertia denique, quae pars est recentissima, ita interpreta-

pretatur: mas gladio, foemina, ea etiam,
quae in se ipsa deliquit, culeo puniatur.

Ita nobis periculum facientibus, quid
ipsi sentiamus, addere liceat! Legimus et
interpretamur ita: *Item so jemandt eynem
weibsbild durch bezwang, essen oder trincken,
ein lebendig kind abtreibt, — so solch übel
fürsetzlicher vnd boshaftiger weiss be-
schicht, soll der man mit dem schweerd, als eyn
todtschlaeger, vnd die fraue hic parenthe-
sis (so sie es auch an ir selbs thette, ertrenkt)
claudatur, oder scilicet foemina, de qua
ante parenthesin sermo erat, sunst zum todt
gestraft werden etc.*

Num hic pro *oder* melius *aber* legi
possit, non quaerimus. Sensus autem est:
Mas gladio; foemina grauidae vim infe-
rens extraordinarie; ea autem, quae in se
ipsa faeuiri, culeo puniri debet.

Antequam nostram interpretationem
probare aggredimur, nostrum est, ad
quaestiones recentissimae interpretationis
fortius defendenda causa a vindicibus
propositas respondere. Quaerunt ex no-
bis primo, qua poena adficiamus foemi-
nam, quae abegit partum alterius foemi-
nae? At nos neque gladii, neque culei,
sed poenam extraordinariam, de qua

A 5 paulo



paulo post dicemus, statuimus. Altera eorum quaestio est, quae luculentior sua sententia dici ac desiderari possit? Nos quaerimus, quae nostra? Argumenta habemus firmo, ut credimus, talo stantia. Tres enim hac lege contineri poenas varias variis tribus personis dictas, primo interiecta membra nos docent. Primum, *soll der man mit dem schwerd als eyn todtschlaeger*; alterum, *vnd die fraw*; tertium *so sie es auch an ir selbs thette, ertrenkt*; nunc sequitur attributum, quod subiectum *fraw* ante parenthesin positum determinat: *oder scilicet foemina*, de qua ante parenthesin locutus fuit imperator, *sunst gestrafst werden* etc.; quorum verborum ordinem, illas tres poenarum species diuersas breuiter distinguendi causa, haud aliter compонere lingua potuit. Nam si recta esset illorum sententia, verba haec fere esse deberent: *soll der man mit dem schwerd als eyn todtschlaeger, und die fraw, sowohl die es an ir selbs thette, als die es einer andern thette, nach rath der rechtsverstaendigen entweder ertrenkt, oder sunst gestrafst werden*; vel simili modo. Sed vocabulum *auch* non valer amphiboliam remouere, nam et nos illa particula *vtimur*. Et in Constitutione criminali

minali Bambergensi vocabula *oder* — *oder* duabus enunciationibus respondere, tot profecto (nisi forte omnes) intelligere debent, quot sunt, qui contrarium defendere velint. Recentiores deinde interpres aiunt Carolum V. reprobasse sententiam illorum, qui foeminam in propria viscera saeuientem maiori poena adficiendam esse recte statuunt. Sed quo loco? Nos vero ad defendendum argumentum duo alia habemus, quorum alterum ex legibus Romanis petitum est, et ex ipsius rei natura alterum. Quod ad primum attinet, constat, Carolum V. imperatorem criminalistarum suo saeculo viuentium sententiam, quam aliunde, nisi ex iisdem legibus Romanis, interpretari non potuerunt, in poena abortus definienda esse sectum. In his enim legibus partim et ab initio quidem exilii poenam non nisi mulieri visceribus suis vim inferenti, quo partum abigeret, partim illa abrogata, semper maiorem illi, quam alienae foeminae poenam constitutam videmus *). Ex hac enim legum ratione huic crimini, cuius coercitio pro variis Romanorum tem-

pori-

*) Euoluantur l. 8. P. ad L. Corn. de Sicariis; l. 4.
de extraordin. crim.; l. 38. §. 5. P. et l. 39. P. de
poenis.



poribus definienda est, poenam imperator accommodauit.

Illud de primo; iam ad naturale, ut ita dicam, argumentum venio. Infanticidae suos ipsi liberos interficientes, quod maiorem malitiae gradum praeseferunt, durius, quam qui alienos necant, puniendi sunt. Nonne? Ipsa sane doctrina de necatis infantibus docet. Nonne id valet de spe humana? Ergo mas (marem scilicet cum muliere rem habentem intelligit imperator. Quotusquisque enim est, quin sui ipsius causa partum alterius foeminae abigat?) mas, inquam, paulo mitius, ut ita loquar, quia malitiosius paululum agit, quam eius grauidae, gladio punitur. Contraria ex parte grauidam (matris enim nomine nondum digna est) quia maiorem culpam habet, si spei humanae verus possessor, qualis mas concumbens non erat (nisi forte quasi possessorem illum nomines) partum abegit, culei poena manet; alienos, siue matronae sint, siue alii e. c. medici, pecunia accepta, quoniam ne quasi possessores quidem sese iactare possunt, poena sequitur extraordinaria. Neque enim de sola spe humana abacta gladium

dium, nedum culeum edixisset Carolus V, nisi alia non ita multo post a nobis indicanda ratio adfuisset. Ex quibus intelligitur, tres esse in illo articulo varies poenas.

Quoniam de delicto abortus gravissimo ex mente carolingica breuiter ac vniuerse dictum est; de ratione legis et cautionibus in definienda poena adhibendis pauca adhuc dicere placet. Concurrentis enim, nec minus certe grauidae, cur iucundior ac magis necessaria, quam aliorum de partu producendo spes esse debeat, ratio haec est, ne hoc neglecto matrimonii officio ad maius delictum, infanticidium scilicet ipsum, proclives reddi possint parentes. Praeterea autem Carolum V ex industria paululum obscurius de extraordinaria huius delicti poena locutum esse, lubenter existimamus. Et quamquam multitudo criminum, eorumque sequentia mala saepius postularunt leges gravissimas; magis tamen, nisi certissimum sit delictum, restrictior, quam extensiua interpretatio fieri debet, quod inter plura exemplo Art. CXXXI. C. C. C. probetur. *)

Max

*) Dav. Georg. Struben in *Rechtl. Bedenken.*
P. I. n. 31. p. 81. seqq.



Maxima autem cautio adhibenda est in puniendo abortus delicto, quoniam de variis rebus certi semper esse non possumus. Ita v. c. nescimus, capite foetus aut per luem venereum, aut per alias res destructo, monstrum fuerit partus an homo. Item: utrum potus medicatus, an aliae fuerint abortus causae naturales, quas innumeratas artis medicae periti commemorant, quarumque duo efficiunt genera; quorum alterum positum est in ipsa corporis dispositione, rebusque iis, quibus illud corpus casu fortuito obnoxium est, quales sunt affectus, terror, vires animi nimis intensae, continuata intemperantia, moeror et sexcenta alia, quae cruentorem ad internas corporis partes reducere possunt;*) alterum autem in causis extra corpus sitis quaerunt. Nos addimus tertium genus, ipsos reiteratos **) aborsus, quos ad primum genus referre noli-

*) Dav. Macbrid's Methodical introduction to the theory and practice of physic (London 1772. II. 4) P. II. B. IX. Cap. IX.

**) Egregie scripsit in hac academia ante paucos dies de abortus causis, praecipue reiteratis, eiusque sanandi ratione Doctiss. et Amiciss.
GOTTLÖB FRIDERICVS RICHTERVS
in commentatione, cui frons est: De abortu crebro redeunte.

nolimus. Praeterea et viuus requiritur foetus, *ein lebendig Kind*; ergo imprimis inquirendum est, vtrum vixisse tantum visus sit, nec ne; et tales cautiones iudex obseruare plures debet. Sed haec ha-
ctenus.

De reliqua articuli nostri quaeftione, ne fruſtra repetamus, quoniam nec rerum ratio flagitare videtur, non tam nihil dicamus, quam et in hoc crimine interueniente adhuc castrationis poena, ad trium diuersarum poenarum diuisionem, qua vſi ſumus in ſuperioribus, respiciendum eſſe existimamus. Textus enim C. C. C. de ſterilitate procurata interpretatio eadem fere eſt, quam quae legis de abortu procurato eſſe debeat. Sic ex noſtra quidem ſententia ſeſe habent verba:

— *wer auch eyn man oder weib unfruchtbar macht, so folch übel fürſetzlicher vñnd boſhaftiger weiss beschicht, foll der man mit dem ſchwert, als eyn todtschlaeger, vñnd die frau (ſo ſie es auch an ir ſelbs thette, ertrenk) oder ſunſt zum todt geſtrraft werden.*

Ex quibus iterum intelligitur, tres eſſe varias poenas, quarum prima eſt gladii, mari foeminam vel ſe ipsum ſterilem facienti destinata; deinde altera culei, foeminiſis



minis concipiendi facultatem venenata po-
tione sibi tollentibus dicta; et tertia deni-
que est extraordinaria poena, quae foemina-
nas foeminis aut maribus vires generandi
adimentes sequitur. Ergo sub verbo *frau*
omnis foemina intelligi nequit; nec illud
ex oppositione *des mannes*, quo marem (in-
telligunt marem quemcunque) significari
male tradunt, patere potest. Marem scili-
cet foeminamque in allegatis Art. CXLIV
et CLXII nihil aliud, quam quod vocabula
sonant, significare, quisquamne, bone Deus,
ut neget?

Haec fere sunt, quae super articulo
centesimo tertio trigesimo constitutionis
criminalis carolinae, eiusque matris per
angustias temporis, et ingenii doctrinae-
que imbecillitatem dicere nobis liceret.
Claudite, adclamant corriuales, quos pu-
tamus esse amicos.

Claudite iam riuos, pueri: sat prata bi-
berunt.

HC

Kp 4338

a po-
deni-
emi-
andi
fraw
illud
(in-
icari
scili-
XLIV
bula
Deus,

culo
onis
per
inae-
eret.
pu-

a bi-

ULB Halle
005 725 259

3



UDN 8

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



SS S V P E R

ART. CXXXIII.

C. C. C.

203

Kp 4338



Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus: et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

HORAT. de A. P. v. 38 seqq.

LIPSIAE. CICIO CCLXXIX.

EX OFFICINA LANGENHEMIORVM HAERED. ET
KLAVBERTHIA.